

**Dissertatio Physiologica De Corpore Hvmano Semper Mvtabili**

**[Sect. I] :**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1752?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862405149>

Band (Druck) Freier  Zugang





(Lehrbuch zwei Tafeln. (Nr. 2 - 15.) )

Mb. 1541. (2.)<sup>1-22.</sup>

## Contenta.

- 1, Becker de Natura Corporis humani.
- 2, Buchwald Descriptio omenti anatomica.
- 3, Burchard de Ossiculo quodam Sesamoides in osse frontali reperto
- 4, Eiusd. de Arteria Palatina.
- 5, Georg. Detharding Anatomia iacunda et utilis Specimen
- 6, Eiusd. de Ingressu aëris per poros cutis.
- 7, Eiusd. de Subactione alimentorum in ventriculo
- 8, G. C. Detharding Centuria Aphorismorum Physiologicorum
- 9, Eiusd. de Corpore Humano semper mutabili
- 10, Eiusd. Dissert. Sectio II.
- 11, Eiusd. Programma invitator. ad Anatom. Publ.
- 12, Eiusd. Progr. aliud simili occasione promulgatum
- 13, Amberger de Respirationis Mechanismo et Usu
- 14, Eiusd. de Calore Humano naturali.
- 15, Hilcher Progr. de Aethiope Minerali.
- 16, Juncker de Tunica Retina et Neruo optico.
- 17, Rhades de Ferro Sanguinis Humani  
Accessu
- 17, Kulmi de Decursu aëris per pulmones in Sanguinem  
dubio.

18.) Lembrsen Anatomie Nucleus.

Eiud. Progr. de anatomia Utilitate

19.) Quellmaß De Venis Absorbentibus

20.) Schultze de Mechanismo Musculorum Abdominalium.

21.) Stentzel de Vestigiis Circuli Sanguinis apud Hippokratem.

22.) Eiud. de glandularum in plurimis visceribus absentia.

2.2



J. L. Becker

1756

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA  
DE  
CORPORE HVMANO  
SEMPER MVTABILI

---

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE  
ET DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO,**  
PRINCIPE HEREDITARIO MEGAPOLENSI,  
VANDALORVM, SVERINI ET RACEBURGI, COMITE  
SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII  
ET STARGARDIAE DOMINO,  
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO.


PRAESIDE  
DN. GEORG. CHRISTOPH.  
DETHARDING,

COLLEGI DVCAL. PROFESS. ET FACVLT. MED. SENIORE, SERENISS. DVC.  
REGNANT. MEGAPOL. CONSILIAR. AVLICO.

DIE XXI. DEC. A. MDCCLII.

PVBlico DNN. COMMILITONVM EXAMINI,  
SVBMITTIT

**IO. IOACH. GOTTH. STVRM,**  
SVLSTORFFIO-MEGAPOLENSIS.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

9.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA

DE  
CORRORE HUMANO

AVCTORE M. V. RAVENHILL

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS

ET DOMINI

DOMINO FRIDERICO

PRINCIPIS HEREDITARIO MAGNIFICENTISSIMO

AVDALORVM, SVB REGIS ET RACEDVRCI, COMITIS  
SVEVICI, TERRARVM ROSTOCHII  
ET STAROGARDIAE DOMINI

DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO

PRÆSIDE

DR. GEORG. CHRISTOPH.

DETHARDING,

COLLEGIUM DVBLIVM, FACULT. MEDICINÆ, ROSTOCHII

PROFESSORIS PUBLICI, CONSULTAE, AVCTO.

DIE XXI. DEC. A. MDCCII.

PUBLICO DNI COMMISSIONVM EXAMINI

SVBSCRIPIT

IO. IOACH. GOTTL. STURM,

AVCTORITATE NEOPOLITANA

PROFESSORIS PUBLICI, CONSULTAE, AVCTO.

ROSTOCHII.

LIT. TYP. ADLERIANIS

NOBILISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI,

S. P. D.

P R A E S E S.

**C**onnubium Medicinæ cum Jurisprudentiâ  
nemo erit, qui negaverit. Prostant etenim  
casus multiuarii a Jureconsulto prius non diri-  
mendi, quam Medicus suum judicium interposuit.  
Hæc proinde reprobanda, potius dilaudanda,  
et imitanda conamina Themidi addictorum, qui  
admota quavis occasione, operam collocant in ad-  
discendo, quæ in praxi Medico-Legali ipsis usui  
esse possint. Te, AMICE SVAVISSIME, his ad-  
numerare jure possum. Per biennium enim, et  
quod excurrit, in hac Academia non tantum au-  
spicatissimo cum successu, præceptis Jurispru-  
dentiae es innutritus, idque publicis jam manife-  
stasti




stasti documentis, verum et interfuisti perpetuus  
Auditor Praelectionibus meis Anatomicis et  
Physiologicis, et quod Tibi conducibile olim fu-  
turum judicasti, memoria comprehendere admi-  
sus es. Imo ab oblata defensione hujus Dispu-  
tationis Te removere haud voluisti. Nullus  
quoque dubito, quin cathedram Medicam parili-  
cum adplausu sis ornaturus, quem in cathedra  
Juridica, et Respondentis et Opponentis munere  
functus, Tibi conciliasti. Propitia ergo veritate,  
et cum gaudio, hoc publicum Studiorum Tuorum,  
humanitati maritatorum testimonium Disputa-  
tioni praesenti subjungo. Faveat porro sum-  
mum Numen omnibus tuis conaminibus, seruet  
Te incolumem, viue diu felix et fortunatus,  
fructusque laudis promeritae cape uberrimos.  
Deproperabam e Musaeo die 19 Decembr.

A. MDCCLII.





## PROOEMIUM.

mnia corpora sublunaria, nec solidissimis exceptis, mutationibus sunt obnoxia, et partium suarum multiuarias experiuntur vicissitudines. Durissima faxa tacitis nunc augescunt incrementis, nunc ab aquis excauantur, ab ardore solis exuruntur, immo ab igne subterraneo in cineres conuertuntur et pumices. Ferrum rubiginem contrahit, et Adamas polline suo laeuigatur. Vegetabilia, utpote molliora, citius ad crescunt quidem, horumdem autem plurima unius anni spatio euanescent iterum, et obliuantur; hisce duriora resistunt quidem corruptioni diutius, sed temporis tractu cedere eidem tenentur. Sic ardua Quercus tandem siccescit, nec Cedrum natura ab interitu vindicauit. Parilia fata Microcosmum circumstare deprehendimus. Ortum capit a puncto minutissimo, increfcit successiue ad certam magnitudinem, cessante incremento, conseruatur

A.

tur

tur compages eius illaesa et integra ad determinatum ipsi  
tempus; postmodum, non obstantibus quibuscunque  
pro conseruatione integritatis adhibitis subsidiis, paul-  
tim ad interitum tendit, hebescit, et tandem in elementa  
sua resoluitur. Haec meditantibus placuit, mutationes  
postremo recensitas, vt vt quotidie conspicuas, inuesti-  
gatione tamen vltiori dignas, enodatus paullo delinea-  
re, hisque fundamenti loco positis, si non apodictice,  
maxima tamen cum probabilitate docere, singulas cor-  
poris humani particulas per quaeuis momenta pedeten-  
tim mutari, et in locum secedentium nouas semper sub-  
stitui. Ex quibus insimul, vt opinamur, elucescet, neces-  
sitate macescentis senii, et mortis naturalis, ex principiis  
physicis demonstrari non posse, sed eandem decreto Crea-  
toris nostri tribuendam esse, qui protoplastis nostris im-  
mortalitatem vel incorruptibilitatem corporis naturalem  
reliquisset, si in statu integritatis permanissent; qui  
porro antediluvianis vitam per multa secula, ex naturae  
viribus prorogatam permittit, abhinc vero ad nostra vs-  
que tempora, et fortassis ad mundi interitum vsque, ho-  
minibus breuius vitae curriculum destinauit. Disqui-  
sitionem hanc nostram binis Sectionibus pertractabimus,  
quarum *prima* mutationes corporis humani euidentes et  
sensibiles, a primo conceptionis momento ad vitae ter-  
minum sistet; *altera* tacitam quasi, et in sensus non adeo  
incurrentem omnium partium tam solidarum, quam flui-  
darum immutationem, possibilem perrennitatem cor-  
poris inuoluentem, comprehendet. Faxit summum Nu-  
men, vt haec conamina in sui nominis glo-  
riam tendant.



SECTIONIS

\* \* \* \*

SECTIO PRIMA,  
EVIDENTES ET CONSPICVAS CORPORIS  
HVMANI MUTATIONES DESCRIBIT.



§. I.

Corpus humanum hoc habet cum omnibus animantibus commune, vt ex ovo eiusdemque colliquamento originem trahat. Ast prima eius rudimenta, statim post conceptionem, subtilitate sua tam ingenii, quam oculorum aciei subterfugiunt, et demum in conspectum prodeunt, quando adaptatis inuicem fibris, corpusculi alicuius imaginem praeferant.

§. II.

Quod, a conceptione, primum obtutui sese offert ouulum foecundatum, solum coagulum est, colliquamentum tenue reliquorum ouulorum in ouario quantitate paullulum superans. Paucis diebus interiectis, in eodem conspicitur corpusculum rudiforme, aliquomodo oblongum, ac quasi caudatum, cum feminis anisi magnitudine conueniens. Quando ad magnitudinem feminis hordei mundati peruenit, caput a reliquo corpore quodammodo distinctum exhibet, nulla tamen figura corporis humani adparente. Protracta adcretionem, caput luculentius prominet, artuumque rudimenta tuberculorum minimorum instar deprehenduntur. Haec tubercula, vna cum capite indies maius capiunt augmentum, ita vt oculos punctula nigricantia indigent, et primo artus superiores, abhinc inferiores, demum partes generationi dicatae distinctius cernantur. Sicque continuatur pedetentim adcretio, donec omnibus membris iustam figuram, proportionem, magnitudinem et robur adeptis, quod spatio quadraginta septimanarum contingere solet, foetus perfectus ex hospitio suo, in quo huc vsque delituit, in lucem excludatur. (\*)

(\*) Metamorphoses, vel si mavis, evolutiones has quam nitidissime ad prototypum depingi curavit solertissimus corporis humani ruspator Fr. RVYSCHIVS in *Thesauro anatomico VI.* utpote cui ex praxi clinica, et ex commercio cum obstetricibus Amstelodamensibus ampla fuit occasio, cuiusvis aetatis abortus obtinendi.

§. III.

Sic externas quidem foetus humani mutationes detexit industria curiosorum; ast, quomodo interanea corpusculi eiusdem sensim adcrevant, exiguitas ouulorum indagare prohibuit. Ad comparatiuam proinde inquisitionem fuit confugiendum, quam inspectio ouorum gallinaceorum incubatorum suppeditare potuit. Primum, quod in cicatriculae colliquamento oui foecundati conspectui sese obtulit, confusae fuerunt et irregulares lineae, in quarum meditullio postmodum vestigium corpusculi, puncti solientis nomine venientis, adparuit, ex quo fibrillae rubicundae, tanquam rudimenta vasorum sanguiferorum progerminarunt. His formatis, cerebrum cum medulla spinali et ex eadem prodeuntibus nervis obseruatum. Porro oculi vascularum figuram prae se ferentes, viscera tam thoracis quam abdominis, costae, membrorum motui externo destinatarum primordia, denique integumenta corporis, et quae ad ornamentum et tutelam faciunt, sese manifestarunt. (†)

(†) Has ouorum incubatorum mutationes fusius descripserunt Hier. FABRICIVS ab *Aquapendente* Cap. *de generatione pulli*; HARVÆVS *de generatione animalium Exercitat. XIX.* MALPIGHIVS in *Tractatu de ouo incubato*; Theod. ALDES vel potius Matth. SLADE in *Obseruat. in ouis factis.*

§. IV.

Haec recensitas obseruationes summa cum probabilitate docere arbitramur, parili ratione contingere debere in ouulo humano partium genesin successiuam, in primis quum detecta Ruyschiana, aliorumque medicorum cum his conspirent, et primo corpusculum ad aspectu rudiforme, temporis tractu figuram hominis

nis induens exhibeant. Ex quibus elucescit, rudimenta corporis nostri esse subtilissima, adpositione continua partium glutinosarum soliditatem demum firmiorem et perceptibilem obtinentia. Particulae enim gelatinosae, terreis intermixtis, vi cohaesionis facile concresecunt, et in fibras abeunt, quae primo simplicissimae, adunatae porro, et coniunctae in compositas conuertuntur, soliditatem demum tangibilem induunt, et membranas, neruos, vasa, cartilagineas et ossa efformant.

SCHOLION.

Prolixum nimis foret, et a scopo praesenti, quod mutationes saltem corporis humani conspicuas tangit, alienum, inquirere: vtrum rudimenta corporis humani iam in ouulis praeexistant, accedente femine virili sese saltem euoluentia: an corpusculum animalculi seminalis verum hominem in se contineat, ex colliquamento ouuli, et abhinc ex vtero materno indies augmentum capientem: an vero fabrica corporis humani fiat per epigenesin, quae a principio corporis mouente, siue ab anima perficiatur. In tres siquidem classes distingui possunt, qui modum generationis hominis enotare sunt conati. Qui rudimenta corporis iam in ouulo delituisse docent, visui tamen, etsi armato, haec exhibere non possunt, ab analogia in regno vegetabili deprehendenda conclusiones formant. Sic LEEWENHOECK in grano tritici, tres distinctas plantas cum radicibus et foliis, et singulum fecalis gradum quatuor principiis recentium plantarum instructum fuisse adserit; immo in vno hordei grano, octo distincta plantarum principia ab ipso obseruata perhibet (\*). Ex millenis animalculis spermaticis, sub concubitu foecundo, per Tubam Fallopianam ad ouarium vectis, vnicum ouulum ingredi, qui contendunt, inibi nutrimentum adipisci, sese magis euoluere, et in vterum delatum, a sanguine materno, in hominem perfectum laete adcrefcere, hi ex obseruatis Ruyfchianis (§. II.) argumentum satis probabile pro stabilienda hac hypothese petere possunt. Caudatus nempe embryo pusillus caudato animalculo spermatico analogus existit.

Pariter similitudo mutua, quae patri cum liberis est, tam quoad animi indolem, quam quoad corpus, exinde leui negotio detegeretur; vt taceam gemellos concretos, bicorporeos, bicipites etc. quorum genesis, posita hac hypothese explicatu est facilis. Qui epigenesin, siue formationem corporis humani successiuam statuunt, animae infantis, eiusdemque intellectui infito tribuendam, his non desunt, pro roborando hocce adserto argumenta satis ponderosa. Praeter enim, quod obseruata in ouis incubatis supra recensita, huic sententiae subscribere videantur; naeui materni, et monstra, cum imaginatione matris grauidae ad amissim conuenientia, et saepe partium iam formatarum factam mutationem indigitantia, omnium optime ex eadem explicari possunt. Verum ad dirimendam hanc controuersiam nec tempus nec vires suppetunt; ad problemata potius eamdem iure referimus, fortassis numquam apodictice resoluenda.

(\*) in *Epist. ad Regiam Societatem Londin.* d. 13 Iun. 1687. *missa.*

§. V.

Circa fluidorum in solida mutationem non tantum certum tempus, verum et decentem proportionem, atque oeconomiae animali conuenientem ordinem obseruare licet. Quaedam partes vitae animali continuandae magis necessariae et nobiliores inde dictae, quales sunt viscera interna, debitam citius adipiscuntur consistentiam prae aliis, quorum vsus in foetu nondum est necessarius. Sic referente HARVAEO (\*) exstructis iam visceribus atque intestinis, foetuque motum exercente, pars tamen corporis anterior thorace priuata plane aperta cernitur, corque ipsum, jecur et intestina foris existunt quasi pendula; et quod ossa concernit, quae in lucem edito infante, quoad extremitates adhuc cartilagineam indolem habent, tamen subtilissima auditui velificantia ossicula debitum robur et magnitudinem obtinuerant, vt ab ossiculis auditus hominis adulti parum discrepent.

(\*) de *generatione animalium Exercit.* XIX, p. 83.

§. VI.

## §. VI.

Exclusus demum ex domicilio suo foetus, omnibus suis membris sufficienter instructus, et infantis nomine veniens, varias denuo experitur mutationes. Vesiculae pulmonales, hucusque complicatae, ab ingrediente per os et tracheam aëre, euoluuntur, et pulmones beneficio diaphragmatis atque musculorum respirationi inferuentium, reciprocam expansionem et compressionem sustinent, eoque ipso circulus sanguinis alium obtinet cursum. Qui in foetu, sub pulmonum quiete et minori diametro perforamen ovale ad sinistrum cordis ventriculum, et per canalem arteriosum in aortam abiit, a respiratione, occlusis sensim his ostiis (+), pulmones salutat. Vena umbilicalis, canalis venosus, sicut et arteriae umbilicales, ligato funiculo umbilicali, collabuntur, et in ligamenta abeunt. Partes quaedam internae in foetu, durante adhuc eiusdem in utero commoratione, certis usibus destinatae, prouti sunt Thymus, Capsulae atrabilariae, sensim imminuuntur, ut in adultis fere euanuisse videantur. Fontanella, concretescentibus ossibus frontis et bregmatis, occluditur, ipsaque ossa cranii imperfecta vel excresecunt, vel suturis coadunantur, vel in vnum os abeunt. Reliquorum ossium extremitates cartilagineae, temporis tractu, in perfecta ossa commutantur (\*\*), et solidiora fiunt. Renum superficies inaequalis, et ex globulis quasi conflata, tandem leuigatum sistit adspexitum; ipsumque cerebrum adeo molle, ut fere diffuat, compagem induit firmiorem. Dentes, quorum rudimenta sub gingiua in alueolis latuerunt, successiue progerminant, incisoriis praeuentibus, abhinc caninis, denique molaribus sequentibus. Huic recensitae evidenti partium corporis mutationi accedit adeo sensibile totius corporis incrementum ut singulis fere mensibus, praesertim a natiuitate primis, vestimentorum postulet mutationem. Ab ablactatione, quando infans solo lacte materno fuit nutritus, corpus huc usque succulentum et turgidulum, flaccidum quidem induit habitum, quod nostrates hac phrasi intelligunt; *dass das milch fleisch dem kinde*



*kinde abfallt*; aft suppeditatis alimentis paullo solidioribus, vires breui recuperat, et tono omnium fibrarum roborato, primo preffo gradu, postmodum firmiori talo incedere valet.

(†) Prostant hinc inde obseruata medicorum de foramine ouali in adultis adhuc peruio reperto. Conf. *Ephem. A. N. C. Cent. VII. Obs 62.* p. 129. immo SIEGESBECKIUS in *Commerc. litt. Norimb. Ann. 1738. Hebd. 35. p. 375.* foramen ouale in feminis non ante quinquaginta, et in viris non ante quinquaginta sex annos occludi perhibet, cui paradoxo, adfero autem autopsia refragatur.

(\*) Non laudanda proinde consuetudo horum, qui tenellos adhuc infantes stare vel gressus formare docent. Premuntur siquidem cartilagineae ossium extremitates a corpore incumbente, haeque diutius compressae, et postmodum ossificatae, valgos, vartios vel compernes efformant.

(\*\*) Dubium moueri posset, vtrum ossa e cartilaginibus generentur, quandoquidem radix rubiae tinctorum diutius comesta, sola saltem ossa, non autem cartilagineae rubicundo colore tingit. (Conf. Dissert. D. Io. Benj. BOEHMERI de *radicis rubiae tinctorum effectibus in corpore animali. Lips. 1751. habit.*) Aft praeter quod autopsia doceat, principia ossium mere esse cartilaginea, figuram ossis ex iisdem formandi iam possidere, et eadem materia nutrirri, causam phoenomeni huius singularis repositam esse censemus vel in subtilitate vasorum nutrimento cartilaginum inseruientium, vtpote quae oculorum aciei se subducunt, hinc particulis rubiae tinctorum diametrum horumdem superantibus transitum denegant; vel in glabritie cartilaginum, cui tingentes hae particulae adhaerere non valent.

§. VII.

Quando sub valida adhuc nutritione et adcretionem ad annum circiter septimum peruenit infans, negotium hocce paululum imminuitur, et lento magis gradu incedit, ita vt vertere biennio, vix tantae accessiones obseruentur, quae vnus anni

anni spatio olim contigerunt. (\*) Notatu autem imprimis digna est circa nouam hanc aetatis periodum, dentium iterata genesis; altera namque in alueolis huc vsque latitans dentium series, a copiosius aduecto nutrimento eleuatur, et prioribus excussis, locum horumdem occupat.

(\*) Haec nutritionis successiua imminutio aetiologiam suppeditat, quare ex diaeta viscida et atmosphaera impura Rhachitici facti, nec insuperabili viscerum vitio laborantes, ad annum quintum vel ad summum, septimum vsque, aliquam, adhuc restitutionem sperare possint; hic vero circumactis, per totum vitae stadium vitiosa membra retineant.

§. VIII.

Ab anno septimo ad annum circiter decimum quartum vel quintum, quod tempus pueritiae nomine insignitur, adcretio in longum paullatim et leniter saltem continuet. His vero annis transactis, euidenter denuo surgunt in homine metamorphoses, negotium generationis respicientes, et ratione sexus diuersae. Quod virilem concernit, circa organa officio illi destinata sit adparatus liquidorum eo facientium, vasa versus genitalia abeuntia ampliantur, et maiorem sanguinis aduehant quantitatem, ex quo est, quod pili circa pudenda progerminent, testes cum epidimidibus euoluantur magis, maiorem obtineant diametrum (\*) et in iisdem laticis genitalis incipiat elaboratio, cuius praesentiam somnus quandoque prodit. Ex consensu genitalium cum collo (\*\*) lanugo circa os barbatulorum conspicitur, sensim in veram barbam commutanda, collum et inprimis larynx dilatatur, hinc vox primum rauca ad grauem et virilem gradatim adscendit.

(\*) Maior sanguinis ad testes adfluxus hos reddit itidem ponderosiores, hinc qui adhuc versus annulum musculorum abdominis adtracti, pederentim in scrotum descendunt. Amplificatio quoque parastarum magis in conspectum prodeuntium terrorem aliquando iuuenibus iniicit, qui se hernia vel Sarcocoele correptos esse autumant.

B

(\*\*) De

(\*\*) De connexione colli cum virilibus testantur itidem Eunuchi, quorum testes ante annos pubertatis resecti sunt; utpote quibus nec barba crescit, nec collum ampliatur, hinc a magnatibus ad acutam symphoniam vocem modulandum adhibentur.

§. IX.

In sexu sequiori autem, quia organorum generationi famulantium alia conditio, differunt quoque circumstantiae, quae de mutationibus sub hac aetatis periodo testantur. Circa dicatum proli hospitium, quod uteri nomine venit, congeritur iam dum sanguis, vasa eiusdem magis expandens, et singulis mensibus per muliebria exitum quaerens, usque dum in incolae desiderati utilitatem impendi queat. Surgunt itidem promontoria pectori incumbentia, quo ex iisdem debito tempore lac pro nutritione nati porrigatur.

§. X.

Catameniis rite se habentibus, ad negotium generationis iam habiles existunt puellae (\*). Quum primum ergo a conceptione facta, ouulum foecundatum uterum intrauit, ut contentus embryo non tantum nutrimentum ex eodem obtineat, verum et commode in omnem dimensionem ad crescere possit; cessat vel imminuitur mensium fluxus (\*\*), cauitas uteri alias exigua, ut in virginibus vix fabam maiusculam capiat, pro modulo adcretionis foetus, et aquarum eundem ambientium, mirum in modum dilatatur. Substantia ipsius compacta, ab interfluente per vasa tortuosa anastomosibus coniuncta, sanguine, exinde redditur spongiosa, ut uterum non grauidum compressum crassitie superet (\*\*\*) ; tandem mediante partu a sarcina sua liberatus, beneficio substantiae musculosae, adaucto huius tono, se se, contrahit, sanguinem intra fibras hactenus hospitantem sub titulo lochiorum expellit, et consolidata interiori eiusdem substantia, cui placenta vterina adhaeserat, pristinam fere soliditatem et capacitatem (\*\*\*\*) obtinet.

(\*) Hinc

(\*) Hinc aetiologia petenda, quare puellae infantiam vix egressae conceperint, et foetum ediderint viuum; natura siquidem ordinem naturalem in iisdem anticipauit; sed eo ipso detrahitur corpori debitum robur, dum quod adcretioni eiusdem impendendum, iam in alimentum foetus cedit; quod itidem certo modo valet de femellis, statim a pubertatis annis viro nubentibus.

(\*\*) Sunt, quae non tantum primis grauiditatis mensibus, verum et per totum gestationis foetus in vtero tempus, tributum lunare soluunt, cuius phaenomeni causa in abundantia sanguinis quaerenda, non ex vteri, verum ex vaginae vasis sanguiferis exitum inuenientis.

(\*\*\*) Vterum ex grauiditate spongiosum atque porosum omnium optime delineauit *Wilb. NOORTWYK* in *Anatome et Historia vteri grauidi*. Lugd. Bat. 1743. edit.

(\*\*\*\*) Suspecta proinde est conditio non maritatarum, frustra coagulati sanguinis ex vtero excludentium; cauitas etenim vteri virginiei haec frustra capere non facile potest.

§. XI.

Sub praesentia foetus in vtero substantia glandulosa medullarium mammarum occupans, a copiosius ingrediente sanguine (\*) sensim tumescit, duriuscula redditur, et per adaptatos poros atque canales, primum colostrum, postmodum fincerum lac, infanti in lucem edito suppeditat. Ab ablatione collabatur iterum haec glandulosa compages, vt ab ambiente pinguedine vix distingui possit.

(\*) An ob anastomasi vasorum epigastricorum cum mammariis haec ampliatio glandulosi corporis in mammis et secretio lactis deriuanda, apodictice adseuerare non audemus. Suppressis enim mensibus in non grauidis, talis intumescencia etiam sequeretur; itidem sub primis gestationis mensibus, quando minor adhuc sanguinis quantitas pro nutriendo foetus corpusculo requiritur, quibus tamen experientia non subscribit. Adcedit quod sub

forti, immo quandoque nimio lochiorum fluxu, nihilo secius  
mammarum tumeant et colostrum promant.

§. XII.

Hae sunt mutationes corporis humani, quae sub annis sic  
dictis pubertatis contingere possunt et solent; tantum vero ab-  
est, ut natura, durante hoc temporis spatio, se vnice his adpli-  
cet, ut potius, nisi a causis moralibus et physicis stimulantibus  
vincatur, perfectioni et maturitati corporis inuigilet stre-  
nue. Videmus hinc, non tantum proceritati adhuc quid addi,  
verum et fibrarum soliditatem, robur et numerum augeri, do-  
nec circa annum vigesimum quartum omnis adcretio cesset(\*)  
et homo ad statum, siue aetatem consistentem peruenisse dicatur.

(\*) Speciosam satis rationem, cur vltra determinatam longitudi-  
nem corpora humana non extendantur, adduxit D. Jo. Chri-  
stop. POHLIVS in Disp. de *fibra senili* §. VI. p. 12. his verbis:  
„Liquida pulsu cordis et arteriarum vrgentur ex axi vnicuius-  
„que vasis ad latera; nam et ea vascula, dilatantur quae vnicum  
„sanguinis globulum suscipiunt. Proinde et elongantur vasa,  
„et cum vasis fibrae omnes. Ast quousque extendi facile pos-  
„sunt, nullam ferunt vim, uti glomer ex filis conuolutus se  
„duci et elongari haud difficulter patitur, donec, filo in line-  
„am rectam educto, maiore adcedente vi, tandem rupturae me-  
„tus est. Ita etiam fibrae ductiles pulsu cordis euoluuntur eo  
„vsque, donec nullus superfit materiae ductilis apparatus, a quo  
„tempore rupturae periculum auertens, natura indurat fibras,  
„easque ita obfirmat, ut a pulsu cordis nihil meruendum  
„superfit. Obstat autem huic theoriae videntur indiuidua  
praecoci ingenio praedita, veneri immaturae litantia, aliaque,  
quibus sufficiens nutrimentum in iuuentute non concessum,  
quippe quae, confectis annis adcretioni dicatis, sub optima diae-  
ta, fibris nondum obrigescentibus, et euolutis, nullas postmo-  
dum circa longitudinem adcessionem experiantur.

§. XIII.

§. XIII.

Structo itaque, et ad culmen proceritatis, atque fibrarum densitatis debitae perducto corpore, omnes actiones tam vitales quam rationales plurimum vigent, et decenti cum efficacia exercentur (\*). Quando sub laboribus particulae absumuntur, integritati eiusdem accensendae, hae breui negotio sub valido adpetitu iterum refarciuntur. Conseruantur vires illibatae et integrae per viginti, et quod excurrit, annos absque ulla decremento atque immutatione sensibili, (\*\*). citra quod pinguedo in nonnullis, praesertim lautae et otiosae diaetae deditis adcumuletur. (\*\*\*)

(\*) Huc iure referendum negotium generationis, huic aetati maxime conueniens. Quantumuis illud a pubertatis annis iam iam valeat et perficiatur ( §. VIII. ), cum tanto tamen vigore et effectu nondum coniunctum existit, quem aetas consistens supeditare potest. Infantes siquidem a iunioribus nati robore cedunt iis, qui sub aetate virili generantur. Praesertim hoc valet in sexu nobiliori, sexus enim sequior ad maturitatem, eo molliem fibrarum, et humorum abundantiam, citius perueniens, iam ab anno circiter decimo octauo robustos edere potest partus, a patre robusto ortum si ceperint.

(\*\*) Obseruamus quidem sub hac aetatis periodo haud paucos ante terminum destinatum viribus decrescere, strigosos fieri et ad spectu senes mentiri; sed anticipatio haec aetatis haud naturalibus mutationibus, de quibus saltem nobis sermo, sed causis aduentitiis, e. gr. laboribus indefessis et modum excedentibus, animi pathematibus, imprimis moerori diuturno, partibus crebrioribus, defectui laudabilis vel sufficientis nutrimenti etc. tribuendum.

(\*\*\*) Obesitas haec modum excedens itidem statui praeternaturali adnumeranda, superflua etenim pinguedinis quantitas, qualem in aetate consistente saepe generari videmus, oecoromiae animali molestiam saltem parit, premendo fibras mo-

tui famulantes, et comprimendo vasa sanguifera, ex quo est, quod opimo habitu praediti, nec celeri gradu ire, nec corpus fortiter mouere possint, quin illico anhelitum ducant, cor palpitet, sanguis cum nisu per vasa pellatur, et totum corpus sudore madeat.

§. XIV.

Nullis ergo vicissitudinibus naturalibus exposita aetas consistens, ad annum circiter quinquagesimum, cum aequali vigore decurrit. Hoc stadio vero terminato, pedetentim insurgunt molestiae tacitum senii aduentum indigitantes. Feminas quod concernit, hae citius, quam viri veterascunt. Menses vt plurimum ante quinquagesimum annum iam emanent, et cum istis insimul omnis spes futurae conceptionis decollat, (\*) et quo citius in iuuentute prodierunt, eo citius plerumque subsistere solent. Mammae extenuantur, flaccescunt, tantummodo vestigiis harumdem relictis. In virili sexu tam euident non conspicitur sub primordiis senectutis mutatio (\*\*), quin ad generandum per plures annos adhuc dum existant habiles, modo quod pristinus vigor in hoc negotio sensim remittat.

(\*) In monumentis medicorum hinc inde deprehenduntur historiae feminarum, in quibus vltra annum quinquagesimum non tantum mensium fluxus continuauit, verum et quae praegnantibus redditae viuos infantes in lucem ediderunt. Ad exceptiones autem a regula hi casus referendi, de quibus testantur *Ephemerides* A. N. C. hunc in finem consulendae.

(\*\*) Monitum §. antec. subiunctum hic repetendum, nobis non esse sermonem de iis, qui ex abusu rerum sic dictarum non-naturalium maturam sibi contraxere senectutem; qui naturales saltem, a nullis euidentibus causis deriuandas mutationes corporis hac vice delineamus.

§. XV.

§. XV.

Praemisso hoc, ratione sexus, sub initium quartae aetatis periodi, se sistente discrimine; iuuabit mutationes vtrique sexui familiares successu temporis se se inuicem insequentes, sigillatim dispicere. Primum de quo conqueruntur in viridi adhuc senectute constituti, est remissio alacritatis olim suetae; delassantur proinde citius a motu peracto, nec virium amissarum tam prompta succedit restitutio. Fulgor oculorum sensim perit, et visus redditur obtusus. Caput colorem mutat et pilos alit semicanos. Secretiones et excretiones languide succedunt, hinc alius redditur immorigera et transpirationis insensibilis sequitur decrementum. Somnus quandoque imminuitur, et cutis praesertim faciei olim viua in rugas complicatur, vt senes inuiti frontem capere teneantur.

§. XVI.

Procedentibus annis omnia recensita phoenomena ingrauescunt. Caput incanum et barba alba adspectum fistit venerabilem quidem, hanc praerogatiuam tamen millenis molestiis compensantem. Dentes excidunt, et adtritris a masticatione alueolis, maxilla inferior prominere, sursum magis adtrahitur et faciem abbreviat. Totum corpus incuruatur, capite terram versus inclinato, membra contremiscunt, vacillant, vt sustentante baculo indigeant. Ossa obrigescunt, imprimis vertebrae quasi conferruminantur, et omnem fere flexibilitatem amittunt. Membranae hinc inde, immo et arteriae maiores circa ortum suum ossescunt. Sensus fere omnes fiunt hebetes circa, et horum nonnulli plane auferuntur (†). Viribus tandem penitus pessundatis, succedunt anasthesia, sopor fere continuus, et corpus marasmo confectum, beneficio interdum febriculae, ab anima blande et modo fere insensibili soluitur (\*).

(†) In compendio legere isthaec licet penes Salomonem in Eccl. Cap. XII, et latius in Commentario *Christi*, WARLITZII super eius



eius verba sub titulo: *Senii Salomonei*, qui insimul alios auctores citat eodem labore functos.

(\*) Plures adducere possemus molestias senibus familiares, imprimis ab humoribus corruptis ortum ducentes. „Hi enim, teste *celeb. de HALLER in Praelect. Academ. BOERHAAVII Comment. Vol. III, p 706.* „fiunt acres, vrina acerrima, ipse „halitus et sudor et saliva foetent et acres fiunt, sanguis denique „sicciior, vt aliquando calceam naturam referre visus sit, „ Sed sufficiat potiores saltem memorasse.

§. XVII.


Causam symptomatum senium comitantium in rigiditate fibrarum repositam esse, autopsia docet, hae sibi arctius adhaerentes, transitum liberum succorum nutritioni, flexibilitati earumdem inferuentium sufflaminant, secretionibus humorum laudabilium, excretionibus recrementorum impedimentum inferendo, horum tenacitatem et spissitudinem pariunt. Hinc successiue magis conglutinatae, occalescentes, immo subinde ossificatae in motu tandem consistant necesse est (\*).

(\*) Prolixiorem explicationem harum causarum suppeditat *POHLIVS* in Disputatione satis erudita §. XII. citata.

§. XVIII.


Modo commemoratae mutationes senibus familiares haud in omnibus indistinctim indiuiduis eodem tempore, et gradu deprehenduntur. Sunt etenim grandes natu, quamuis numero pauci, quorum functiones animales et vitales non tam cito destruantur, quin viuacitate in aetate consistente constitutos quandoque superare videantur, et quorum viridis senectus imprimis tranquillitati animi tribuendus. His tamen non obstantibus, tandem, licet serius, corpus siccescit, et ad durum senii iugum adcedit.

SECT. II.



NON ERGO ET QUESITUM  
DOMINO RESPONDEVIMUS  
PRÆSES

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*





rorulis, aliisque partibus, artificiosissimo nexu  
fitum, hoc in perpetuum stabile & immuta-  
raret, si quando leuissima obueniens læsio  
rotulæ, vel particulæ repararetur. Idem &  
de corpore humano semper refecto.

ferruminatio a tot vicibus iteratis sanguinis ad  
ictibus dependeret, sane, nostro quidem  
haud diu duraret integritas corporis, quin  
innotuisset, ad motum vltiorem inhabilis  
tur, lateribus subtilissimorum canaliculorum  
saepe tangentibus, & a glutine sanguinis  
counectendis.

prostat ratio sufficiens mechanica, cur certæ  
in periodo sit adstricta mutatio corporis vegeti-  
cum & infirmum, & vt exemplum speciale  
us, cur circa septimum septenarium in  
sanis licet & valentibus, fluxus menstruus,  
hoc dispositio ad concipiendum cesset, in viris  
nonnumquam imbecillibus, hæc facultas  
di diutius duret.

a mechanica illa necessitate, imbecillitates seniles  
naturalem inducentes orirentur, sane ante  
, & inter hos Metusalah senectutem illam  
nunquam fuissent adepti; haud enim credi-  
m eisdem a DEO fuisse concessam naturam  
oleum, longævitati huic, nobis insolitæ,  
am, vel miraculo cuidam, vel terræ post  
immutatæ, vel abstinentiæ a carnibus  
multa secula prorogatam vitam adtribui posse,  
ichus post diluuium, trecentos & quinquaginta  
refecerit.

E

§. XXXVI.

